

BIBLIA SACRA
IUXTA VULGATAM VERSIONEM

BIBLIA SACRA

IUXTA VULGATAM VERSIONEM

adiuvantibus

B. Fischer, I. Gribomont,

H. F. D. Sparks, W. Thiele

recensuit et brevi apparatu critico instruxit

ROBERT WEBER

Editionem quintam emendatam retractatam

praeparavit

ROGER GRYSO



DEUTSCHE BIBELGESELLSCHAFT

Die Deutsche Bibelgesellschaft ist eine gemeinnützige kirchliche Stiftung.
Gemeinsam mit dem Weltbund der Bibelgesellschaften (United Bible Societies)
fördert sie die biblische Textforschung sowie die weltweite Übersetzung der Bibel –
damit alle Menschen die Bibel in ihrer Sprache lesen können.

The German Bible Society is a not for profit religious foundation.
Its mission, in collaboration with other members of the United Bible Societies,
is to promote biblical research and worldwide Bible translation work in order
to make the Bible available to everybody in their own language.



Erste Auflage 1969

Zweite Auflage 1975

Dritte, verbesserte Auflage 1983

Vierte, verbesserte Auflage 1994

Fünfte, verbesserte Auflage 2007

ISBN 978-3-438-05303-9

Vulgata

© 1969, 2007 Deutsche Bibelgesellschaft, Stuttgart

Gesamtherstellung C. H. Beck, Nördlingen

Alle Rechte vorbehalten

Printed in Germany

1.2013

www.scholarly-bibles.com

PRAEFATIO EDITIONIS PRIMAE
(1969)

Vulgata editio ex consuetudine sermonis quae nunc est ea latina S. Scripturae versio appellatur, quam Ecclesia occidentalis post saeculum septimum in communi omnium usu habet. Quae non opus simplex et unum est, quod ab uno auctore vel uno tenore perfectum sit, immo vero corpus ex pluribus versionibus origine ac momento diversis compositum, quippe quo congesti sint et Veteris Testamenti plerique libri per S. Hieronymum ex ipsa hebraica veritate translati, unus liber Psalmorum, cuius textus quidam vetus ab eodem ad hexapla exemplaria graeca Origenis correctus est, libri Sapientiae Iesuque Sirach et Baruch atque Macchabeorum, quorum antiqua forma integra vel corrupta perseverat, cum ab illo numquam retractati sint; et rursus Novi Testamenti libri, quorum omnium textus ex vetere quodam latino assumptus ad graeci normam regulamque emendatus est, ut Evangeliorum levius sed sine dubio ab ipso S. Hieronymo, ita ceterorum multo diligentius ab uno vel pluribus ignotis. Ita fit, ut Vulgata neque aequalis sibi que constans sit neque hieronymiana dici possit nisi notione latiore, id est ex parte maiore.

Verba Vulgatae multi frequentesque libri manuscripti praebent, quorum varietatibus atque dissimilitudine dilucide manifestatur, per quot vicissitudines mutationesque rerum illa semper et ubique non solum lecta, sed etiam relecta et renovata, accommodata et mutata sint, ita ut pro varietate regionum diversa ferrentur exemplaria et Italia, Hispania, Gallia, Scottia suas quisque editiones legeret et laudaret. Carolo Magno regnante Theodulphus, aurelianensis episcopus, corpus Scripturarum latinarum in unum redegit, correxit, emendavit, cuius sub cura elaborata volumina aliquot nunc usque servantur. Hos tamen et numero et auctoritate superant apographa, quae de pandecte ab Alcuino composito fluxerunt, sane validissima in tradenda Vulgata, praesertim in edendis exemplaribus Universitatis litterarum, quam dicunt, parisiensis saeculo XIII^o et postea longe lateque diffusis. Quamquam vitiis multis gravibusque laborabant, editio princeps typis exscripta unum aliquod ex illis presse secuta est, ipsam denique fere solam typographi posterius repetebant et ne typica quidem editio sexto-clementina multa emendavit.

Habes ergo, benevole lector, in hisce tomis omnes utriusque Testamenti libros, quot illa complectitur editio, quam Clemens Papa VIII^{us} anno 1592^o Romae publici iuris fieri iussit, similiter in appendice additis Oratione quae fertur Manasse regis et tertio quartoque libro Esdrae. Quibus in eadem appendice Psalmum CLI^{us} et epistolam ad Laodicenses missam adiunximus.

Ordinem librorum cum codices valde varient vel immutent, talem servare melius utiliusve duximus, qualem editio clementina sequitur. Ordo vero temporum et annorum, quibus S. Hieronymus illos libros emendavit et transtulit, hic est: anno 383^o Evangelia; post 386^{us} Psalterium iuxta LXX interpretes et hexapla; inter 390^{us} et 405^{us} libros Regum, Psalterium iuxta Hebraeos, quod nostris temporibus in Vulgata non annumeratur, volumina Prophetarum,

Iob, Ezrae, Verba dierum seu Paralipomenon, libros tres Salomonis, Pentateuchum, Iosue cum libro Iudicum et Ruth, librum Hester, iisdemque extremis, ut videtur, annis libros Tobiae et Iudith. Haec de S. Hieronymo auctore. Ceterorum librorum Novi Testamenti forma Vulgata apud Pelagium vel assecclas eius saeculo quinto ineunte primum invenitur; sed librorum Sapientiae, Iesu Sirach, Baruch, Macchabeorum apud Latinos fata disserere cum longum sit, breviter dicere sufficiat volumen Baruch secundum speciem figuramque Vulgatam repperiri primum in pandecte Theodulphi episcopi aurelianensis, reliquos libros iam in codice Amiatino, qui primis in annis saeculi octavi scriptus omnium bibliothecarum sacrarum est antiquissima, quae integra permanet.

Praeterea de Psalterio libri manuscripti Vulgatae traditionis inter se discrepare animadvertuntur. In bibliothecis enim S. Scripturae ante Alcuinum Psalterium iuxta Hebraeos habebatur neque post eum codices Hispaniae dissentiunt. Ipse tamen liturgia aevo carolino instaurata ductus illud loco movit et in vicem Psalmos iuxta LXX emendatos subrogavit, quibus Francogalli temporum illorum utebantur. Quo factum est, ut Psalterium gallicanum, quod dicitur, inter libros editionis Vulgatae confirmaretur. Hac re sine dubitatione concessa, nihilominus iuxta illud Gallicanum etiam Psalterium ex Hebraeo translatum ponere historiae consentaneum et lecturo gratum esse putabamus.

Praefationes S. Hieronymi, quas editio clementina anno 1592^o omiserat et annis 1593^o et 1598^o in unum collectas in principio voluminis posuerat, suis locis restituiamus et ante libros, quorum sunt, inseruimus. Epistulis autem S. Pauli prologum antiquum praefiximus, qui ab omnibus fere codicibus suppedatur et eidem tribuendus esse videtur, qui corrigendo vel emendando Vulgatam Apostoli traditionem instituit. Ubi prologo non singuli libri, sed plures inducuntur, ut libri Pentateuchi, Iosue et Iudicum et Ruth, Samuhel et Regum, Proverbiorum et Ecclesiastae et Cantici Canticorum, Duodecim Prophetarum, Evangeliorum, Epistularum S. Pauli, titulos interpositos non grandioribus typis expressimus, ne dispositio ordinum obscuraretur. Idem secuti sumus, quod ad Epistulas Catholicas pertinet. Porro S. Hieronymo planissime indicante Samuhelis, Regum, Paralipomenon, Ezrae bini libri singuli nobis sunt, etiam si neque in verbis ipsis neque in annotatis neque in titulis paginarum divisiones editionis clementinae omittere volumus, ut lecturis bene consuleretur (I–II Sm, III–IV Rg, I–II Par, I–II Esr).

Capita versusque, in quae libri partiuntur, praeter paucissima cum editione clementina concordant. Loci similes ibidem anno 1592^o non commemorati, annis 1593^o et 1598^o in imis paginis positi, hic per moniales Abbatiae Mariendonk, habita verborum eorundem et congruentium potissimum ratione, ab integro renovati et in lateribus paginarum collocati sunt, cum partes inferiores commentariis criticis essent repletae. Numeri capitulorum canonumque, quos S. Hieronymus Eusebium secutus in Evangeliiis apposuit, ab editione clementina neglecti, a nobis ex libris manuscriptis restituti sunt.

Recte prorsus ac merito cura textus recensendi et apparatus componendi nobis ingens et maxima fuit.

Ipse *textus* non verba editionis clementinae repetit, sed secundum praecepta scientiae artisque criticae constitutus est, fide codicum manuscriptorum accepta, succurrentibus editionibus maioribus, quae sunt: Veteris Testamenti

editio romana monachorum Abbatiae S. Hieronymi in Urbe O. S. B. nondum expleta, cum libri Prophetarum et Macchabeorum desiderentur, et Novi Testamenti editio oxoniensis Iohannis Wordsworth et Henrici Iuliani White. A quibus quotquot hucusque libri publicati sunt, omnium verba retinuimus, sed examinata, probata, correcta vel emendata; eodemque modo editionem Psalterii iuxta Hebraeos auctore Henrico de Sainte-Marie vulgatam in rem nostram convertimus. Contra librorum qui supersunt, id est Prophetarum, Macchabeorum, Orationis Manasse, tertii quartique libri Ezrae, epistolae ad Laodicenses missae verba funditus instauravimus, cum imaginibus et collationibus manuscriptorum codicum aliisque rebus paratis uteremur, quas vel Abbatia S. Hieronymi in Urbe vel Institutum Veteris Latinae beuronense pro sua benevolentia nobis promptas expositasque praebebant, neque has editiones neglegeremus, quas adornaverunt Donatianus De Bruyne librorum Macchabeorum, Robertus L. Bensly et Bruno Violet libri quarti Ezrae, Joseph B. Lightfoot et Adolphus Harnack epistolae ad Laodicenses. Ceterum libenter concedimus recensionem textus non omnibus numeris absolutam et perfectam esse, sed quibusdam in locis emendari posse, ut editio romana consummata erit.

Secundum exemplum editionis oxoniensis et romanae distinctionibus omnis cola et commata, ut aiunt, expressimus, quae in exemplaribus vetustioribus repperiuntur; solos prologos et libros apocryphos, quos instar appendicis subiunximus, signis distinximus. A litteris autem quadratis non exorsi sumus nisi nomina divina vel propria, praeterea capitula Evangeliorum eusebiana, sicut mos erat antiquariorum. Quorum etiam leges atque rationem scribendi in tantum retinuimus, quantum permitti posse nobis videbatur, unde non semper una est sive constans.

Maxime tamen haec editio manualis et editiones illae maiores in *apparatu critico* discrepant, quoniam haec ex illarum abundantia paucas tantum varias lectiones et paucos testes selegit. Nam varias lectiones minores omittere placitum est, quae sunt vel in sola ratione scribendi, nominibus propriis non praetermissis, vel in formis verborum saepius immutatis, ut *adversus/adversum, sicut/sicuti, dextera/dextra, circueo/circueo, Nepthali/Neptholim, Iordanen/Iordanem, infantum/infantium, transiebat/transibat, exivi/exii* et his similia. Praeterea neglegendas eas putavimus, quarum etiam in editionibus maioribus unus tantum erat testis Vulgatae traditionis. Si in codicibus scripta correcta vel mutata erant, quae ab ipso facta erant antiquario primo, iis taciti consentiebamus, quae ab alio, omittebamus praeter paucissimos locos ibique priorem lectionem stellularum *, posteriorem numero ² notabamus.

Testium delegendorum haec erat ratio:

- a) Testes graviore pro quolibet libro pauci codices manuscripti, ut auctoritate ita fere aetate maiores, admissi sunt atque semper in testimonium vocati, nisi de lectionibus agebatur, quae neglegenda esse iam supra placuit.
- b) Testes leviores libri quidam manuscripti vel hispani vel alcuiniani vel sangallenses vel corbeienses vel alii citati sunt, sed in iis tantum locis, ubicumque testimonium aut testium graviorum, quos appellavimus, aut editionum typis impressarum datum erat, et eo consilio, ut suspicari posset prudens lector, quam late vel quo usque talis lectio varia divulgata esset. Sic illas publicas parumque definitas voces vitavimus, quae in editionibus manualibus percipi solent, ut *pauci* vel *multi* vel his similia.

c) Accedunt editiones criticae maiores et clementina, quarum omnis varietas, etiam nullo congruente manuscripto, in apparatus inserta est, nisi esset minor et omittenda, sicut supra dictum est.

Codicibus manuscriptis ea signa tribuere volumus, quibus in editionibus maioribus notati sunt. At cum non solum illae aliquando inter se dissentirent, sed etiam uniuscuiusque codicis signum idem semper per omnes libros S. Scripturae servandum esset, inviti pauca mutavimus. Notas litterarum maiorum vel quadratarum codicibus manuscriptis plus minus integris, minorum autem vel communium romanarum manuscriptis truncis, minorum denique gothicarum vel angulose fractarum, quas dicunt, libris typis editis assignavimus.

Quoties post haec signa punctum additum est, scito ne maioribus quidem ab editionibus de tali lectione varia produci aliud testimonium ullius codicis manuscripti Vulgatae traditionis, immo nobis quoque non manuscripta, sed impressa tantum citantibus, nullum omnino tale testimonium adhuc innotuisse praeter solas editiones.

Variarum lectionum in apparatu scribendarum rationem simpliciorum breviorumque reddebamus, exempli gratia *israhele CTMS* dicto contenti pro *israhele TM; srahele C; israele S*.

Quoniam omnibus libris S. Scripturarum idoneos codices manuscriptos et impressos delegimus, sed aliis alios, singulos initio apparatus critici cuiusvis libri triplici serie testium graviorum *et* leviorum *ac* editionum enumeravimus. Si quaedam in codicibus desunt, in ipso apparatu memoravimus, et ubi incipiant et ubi desinant lacunae. Praeterea lecturi commodo consulentes illam triplicem seriem testium ex latere apparatus in singulis paginis huius editionis repetebamus, omissis pro casu iis qui paginae nihil, et inter uncinos positus iis qui paginae partem tantum praebent.

Attamen hoc monemus et flagitamus, ne ex silentio apparatus nostri, quippe qui consilio non omnia, sed selecta quaedam contineat, umquam ullum argumentum concludatur, sive varia lectio taceatur sive testis, praesertim testis levior. Quotiens re vera secundum leges artis scientiaeque criticae litteris studendum est, totiens utique sine exceptione maiores editiones manibus volvendae et sunt et erunt, vel etiam si ratio ponatur, utrum recte lectionem aliquam receperimus an reiecerimus, quandoquidem in iudicio textus non testimonia sola testium maiorum, sed omnia omnino, quae in apparatibus editionum maiorum habentur, audivimus, cognovimus, iudicavimus.

Verum si vel index codicum manuscriptorum percurritur, manifestum fit nos interdum novis uti, ad quos illae maiores editiones cur non respexerint nihil interest, novis testibus ut causa rectius iudicetur. Codices quoque, quorum ab illis testimonia data sunt, non paucos iterum de novo contulimus, imprimis cum de libris Novi Testamenti ageretur. Propterea quaecumque huius editionis apparatus criticus aliter ac editiones illae constare affirmat, non per nostrum errorem falsa esse reputa, sed diligenter a nobis emendata concede. Minor ergo sit haec editio manualis, tamen non nullo profectu ut textus sic apparatus maiores superare videtur.

Hoc opus inter eas editiones manuales secundum leges scientiae paratas numeratur, quas Societas Biblica Stuttgariensis iam publici iuris fecit, quae sunt Biblia Hebraica Rudolphi Kittel et aliorum, Septuaginta Alfredi Rahlfs formaque minore Novum Testamentum ab Eberhardo Nestle primo curatum.

Idcirco priusquam finem faciamus dicendi, cl. viros qui societati illi praesunt satis grato animo a nobis aestimari vere decet. Nam ipsi priores coeperant consilium inire de hac editione Vulgatae; ipsi quosdam invitaverunt, qui sive Vulgatae maioribus editionibus romanae oxoniensique operam dabant sive Veterum Latinarum versionum editioni beuronensi. Sic quinque editorum, qui non unam eandemque religionem colebant, consortium ortum est, auctoritate ecclesiastica consentiente atque permittente archiepiscopi friburgensis officio, ut liber talis imprimatur. Illi quinqueviri opus una fecerunt, animo fidenti, communi omnium studio consilio iudicio; quod commercium ut iucundum ita perutile semper erat. Finito tandem diuturno labore non possunt non gratias agere quam maximas cum omnibus, quicumque non uno modo multisque rebus eos adiuvabant, tum praecipue moderatoribus Societatis Biblicae Stuttgartensis pro comitate assidua et officiosa erga se voluntate atque pro diligentia indefessa strenuae opera, quas in hos tomos conferebant, ut vere digni essent virtutibus ceterorum Societatis illius librorum.

PRAEFATIO EDITIONIS QUARTAE

Post viginti quinque annos quibus *Biblia Sacra iuxta vulgatam versionem* primum edita sunt, et exemplaria plus quam tricies mille divulgata, ecce quarta editio. Hodie *Vulgata* Stuttgartiensis normam textus latini Librorum Sacrorum omnibus praebet qui his operam dant. Successit editioni Clementinae, quae summam per quattuor saecula auctoritatem habuit, attamen talis erat ut neque a viris doctis nostri saeculi textum latinum Scripturae Sacrae indagantibus probari posset, neque amplius eorum usibus sufficeret. Horum autem studia non solum Clementinae naturam improbaverunt, verum etiam alios tulerunt fructus, cum ex iis ortae sint editiones maiores Veteris et Novi Testamenti; illi operam monachi abbatiae pontificiae S. Hieronymi in Urbe ordinis S. Benedicti dederunt, hanc I. Wordsworth et eius socii curaverunt. Permulti sunt loci ubi lectiones Clementinae nullo manuscripto testimonio fulciuntur. Frequenter in ea invenimus textum contra codices mutatum, sive ut stilus et elocutio corrigerentur, sive quo doctrinae christianae melius congruere videretur, multumque discrepat a textu primitivum vulgato, quem prae buerant pandecta primi millennii. Saepius etiam concordat solum cum recensione Universitatis Parisiensis tertii decimi saeculi, cuius iam textus haud semel in facilius mutatus longe auit a testibus antiquissimis.

Quamquam etiam Ecclesia Romana hodie in sacra liturgia linguam uniuscuiusque populi admittit neque in studiis theologicis persequendis latini sermonis usum amplius requirit, tamen *Vulgata* latina inter litterarum occidentalium monumenta suo iure locum illustrissimum retinet. Quicumque historiae Occidentis quibuslibet de causis operam dabit, proficere non poterit nisi textum eius ad manum habebit. Itaque textu non iam opus est «authenticum», quo theologi tuta conscientia uti possent, sed «critico», qui usque in ipsa dispositione verborum formam originariam quantum fieri potest exprimat nec non lectionum variarum

principalium rationem ducat. Dispositionem *per cola et commata*, quam voluit S. Hieronymus, restituere maximi momenti erat in nova editione conficienda, quia magis adhuc interpunctione quam titulis inserticiis vel emendationibus editores quomodo textum intellegi vellent indicarunt.

Secundum consilium a primis editionis Stuttgartiensis initiis observatum opus pro progressu studiorum certis annorum intervallis renovari debuit, quod munus nos in quarta hac editione suscepimus.

Textum ipsum Bibliorum Sacrorum, ut erat in tertia editione, immutatum reliquimus praeter errores quosdam libri impressi, qui ne in concordantiis quidem quas B. Fischer ante tertiam editionem publici iuris factas ediderat patefiebant, sive quia specie verisimilitudinis tecti non facile discernebantur, ut puta *eas* pro *eos* (Za 13,9), sive quia in iis editionis partibus occurrebant quae in concordantiis supradictis neglectae sunt. In quibus cum essent praefationes, factum est ut e.g. in praefatione libri Danielis *tote* pro *toto* (p. 1341, l. 22) in textum impressum irreperit. His exceptis textus noster idem est ac is quem tertia editio continebat.

Bene tamen nobis conscius sumus nos admisisse vel immutata reliquisse nonnulla quae dubitationem quandam afferant. Sed haec omnia usu firmata sunt, et hoc textu nituntur supradictae concordantiae. Nobis etiam cavendum erat ne textum a viris doctis sub unius regimine firmo consilio elaboratum, cuius omnia elementa optime inter se congruerent, quibusdam locis mutantes totum disturberemus. Accedit quod quibus locis lectioni a R. Weber selectae alia nobis praefenda videbatur, plerumque rationes certae inter varias lectiones diiudicandi deerant, ita ut ne acutissimum quidem acumen criticum dubitationem in qua versaremur superare posset. Huiusmodi sunt ea quae in editione Benedictinorum S. Hieronymi saepius adpositis vocibus «fortasse recte» in apparatu critico afferuntur. Denique, ubi exploratum nobis est textum originarium ab edito differre, velut in Is 11,2 (*spiritus scientiae et timoris domini* pro *spiritus scientiae et pietatis*), 16,1 (*emittite* pro *emitte*), 30,33 (*regi* pro *a rege*), lectio originaria quasi nusquam in codicibus invenitur. Quare, cum textum edendum suscepimus non ab Hieronymo sive ab aliis confectum, sed eum qui vere vulgatus esset, illa quasi «fossilia» non recepimus, cum neque in traditionem manuscriptam transierint, neque «lectionis» nomine vere digna sint, quia olim vel omnino non vel rarissime tantum «legerentur».

Apparatus criticus denuo recognitus est habita ratione editionum criticarum quae post annum 1982 in lucem prodierunt, sive in abbazia Romana S. Hieronymi sive in Instituto Veteris Latinae Beuronensi elucubratae sunt, scilicet libri Sapientiae, librorum Duodecim Prophetarum, priorum librorum Macchabaeorum nec non epistularum ad Titum, ad Philemonem, ad Hebraeos. Quod attinet ad quartum librum Esdrae, editiones quas confecerunt v. d. Klijn et Bergren fere nihil novi attulerunt.

In librorum propheticorum apparatu R. Weber testimonia e commentariis S. Hieronymi sumpta attulerat, quibus accesserunt alia quae in Iuliani Aecclanensis tractatibus prophetarum Osee, Iohel et Amos invenit. Duodecim Prophetarum apparatus recognoscentes ea nolumus penitus omittere, quamquam nobis non omnino persuasimus ea vel utilia esse vel ad textum pertinere. Reapse lemmata commentariorum S. Hieronymi non praebent textum originarium versionis ex hebraico factae, sed formam quandam recognitam et correctam. Insuper occurrit nonnulla ubi editionibus quas adhuc habemus vix fidas. In Iuliani autem

VETUS TESTAMENTUM

ORDO LIBRORUM VETERIS TESTAMENTI

PENTATEUCHUS id est GENESIS ·
EXODUS · LEVITICUS · NUMERI · DEU-
TERONOMIUM

IOSUE · IUDICUM · RUTH

SAMUEL · MALACHIM seu REGUM

VERBA DIERUM seu PARALIPOME-
NON

EZRAS

TOBIAS

IUDITH

HESTER

IOB

PSALMI

LIBRI SALOMONIS id est PROVER-

BIA · ECCLESIASTES · CANTICUM
CANTICORUM

SAPIENTIA

SIRACH seu ECCLESIASTICUS

ISAIAS

HIEREMIAS · THRENI seu LAMENTA-
TIONES · BARUCH

HIEZECHIEL

DANIEL

XII PROPHETAE qui sunt OSEE ·

IOHEL · AMOS · ABDIAS · IONAS · MI-
CHA · NAUM · ABACUC · SOFONIAS ·

AGGEUS · ZACCHARIAS · MALACHI

MACCHABEORUM

INCIPIT PROLOGUS SANCTI HIERONYMI PRESBYTERI IN PENTATEUCHO

- D**esiderii mei desideratas accepi epistulas, qui quodam praesagio futurorum cum Danihele sortitus est nomen, obsecrantis ut translatum in latinam linguam de hebraeo sermone Pentateuchum nostrorum auribus traderem. Periculosum opus certe, obtrectatorum latratibus patens, qui me adserunt in Septuaginta interpretum suggillationem nova pro veteribus cudere, ita ingenium quasi vinum probantes, cum ego saepissime testatus sim me pro virili portione in tabernaculum Dei offerre quae possim, nec opes alterius aliorum paupertate foedari. Quod ut auderem, Origenis me studium provocavit, qui editioni antiquae translationem Theodotionis miscuit, asterisco et obelo, id est stella et veru, opus omne distinguens, dum aut inlucescere facit quae minus ante fuerant aut superflua quaeque iugulat et confodit, maximeque Evangelistarum et Apostolorum auctoritas, in quibus multa de Veteri Testamento legimus quae in nostris codicibus non habentur, ut est illud: «Ex Aegypto vocavi filium meum», et: «Quoniam Nazareus vocabitur», et: «Videbunt in quem compunxerunt», et: «Flumina de ventre eius fluent aquae vivae», et: «Quae nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt quae praeparavit Deus diligentibus se», et multa alia quae proprium συντυχία desiderant. Interrogemus ergo eos ubi haec scripta sint, et cum dicere non potuerint, de libris hebraicis proferamus.
- Primum testimonium est in Osee, secundum in Isaia, tertium in Zaccharia, quantum in Proverbiis, quantum aequae in Isaia; quod multi ignorantes apocriforum deliramenta sectantur et hiberas nenas libris authenticis praefertunt. Causas erroris non est meum exponere. Iudaei prudenti factum dicunt esse consilio, ne Ptolomeus, unius dei cultor, etiam apud Hebraeos duplicem divinitatem deprehenderet, quos maximi idcirco faciebat, quia in Platonis dogma cadere videbantur. Denique ubicumque sacramentum aliquid Scriptura testatur de Patre et Filio et Spiritu Sancto, aut aliter interpretati sunt aut omnino tacuerunt, ut et regi satisfacerent et arcanum fidei non vulgarent. Et nescio quis primus auctor septuaginta cellulas Alexandriae mendacio suo extruxerit, quibus divisi eadem scripturarum, cum Aristheus eiusdem Ptolomei υπεραγοιστης et multo post tempore Iosephus nihil tale rettulerint, sed in una basilica congregatos contulisse scribant, non prophetasse. Aliud est enim vatem, aliud esse interpretem; ibi spiritus ventura praedicat, hic eruditio et verborum copia ea quae intellegit transfert; nisi forte

Mc 2,15
Mt 2,23
Io 19,37
Io 7,38
1 Cor 2,9

Os 11,1; Is 11,1
Za 12,10
Prv 18,4
Is 64,4

Prologus. Citantur AATMΦ et c(edd. 1593 et 1598) v. [adv. Ruf. = Hieronymus, Apologia adv. Rufinum 11,25]. Tit. praefatio sancti hieronymi presbyteri in pentateuchum moysi ad desiderium c. 4 certe. et A c adv. Ruf. obtrectatorum + meorum Mc 6 uirili] uili TM Φ adv. Ruf. (var. lect.) in tabernaculum AAT in tabernaculo cet. 9 id est stella et ueru om. c. 11 maxime quae AMΦ c; maxime quae adv. Ruf. auctoritas i promulgauit TMΦ c adv. Ruf. 15 ascendit Φ adv. Ruf. 17 sunt TM 22 quos maximi r. quod maxime cet. faciebant TM c adv. Ruf. 23 uidebantur TM r] uidebatur cet. 27 aristeeas c adv. Ruf. 29 aliud² + est c |

AATMΦ
cr

putandus est Tullius Oeconomicum Xenofontis et Platonis Protagoram et Demosthe-
 nis Pro Ctesifonte afflatus rethorico spiritu transtulisse, aut aliter de hisdem libris per
 Septuaginta interpretes, aliter per Apostolos Spiritus Sanctus testimonia texuit, ut
 quod illi tacuerunt, hii scriptum esse mentiti sint. Quid igitur? Damnamus veteres?
 Minime; sed post priorum studia in domo Domini quod possumus laboramus. Illi
 interpretati sunt ante adventum Christi et quod nesciebant dubiis protulere sententiis,
 nos post passionem et resurrectionem eius non tam prophetiam quam historiam scri-
 bimus; aliter enim audita, aliter visa narrantur; quod melius intellegimus, melius et
 proferimus. Audi igitur, aemule, obtrektor ausculta: non damno, non reprehendo Sep-
 tuaginta, sed confidenter cunctis illis Apostolos praefero. Per istorum os mihi Christus
 sonat, quos ante prophetas inter spiritalia charismata positos lego, in quibus ultimum
 paene gradum interpretes tenent. Quid livore torqueris? Quid inperitorum animos
 contra me concitas? Sicubi tibi in translatione videor errare, interroga Hebraeos, diver-
 sarum urbium magistros consule: quod illi habent de Christo, tui codices non habent.
 Aliud est, si contra se postea ab Apostolis usurpata testimonia probaverunt, et emen-
 data sunt exemplaria latina quam graeca, graeca quam hebraea? Verum haec contra
 invidos. Nunc te precor, Desideri carissime, ut qui tantum opus me subire fecisti et a
 Genesi exordium capere, orationibus iuves, quo possim eodem spiritu quo scripti sunt
 libri, in latinum eos transferre sermonem. EXPLICIT PROLOGUS

INCIPIT LIBER BRESITH
 ID EST GENESIS

In principio creavit Deus caelum et
 terram
 2 terra autem erat inanis et vacua
 et tenebrae super faciem abyssi
 et spiritus Dei ferebatur super aquas
 3 dixitque Deus
 fiat lux et facta est lux
 4 et vidit Deus lucem quod esset bona
 et divisit lucem ac tenebras
 5 appellavitque lucem diem et teneb-
 ras noctem
 factumque est vespere et mane dies
 unus
 6 dixit quoque Deus
 fiat firmamentum in medio aquarum
 et dividat aquas ab aquis
 7 et fecit Deus firmamentum
 divisitque aquas quae erant sub fir-

mamento ab his quae erant super
 firmamentum
 et factum est ita
 8 vocavitque Deus firmamentum cac-
 lum
 et factum est vespere et mane dies
 secundus
 9 dixit vero Deus
 congregentur aquae quae sub caelo
 sunt in locum unum et appareat
 arida
 factumque est ita
 10 et vocavit Deus aridam terram
 congregationesque aquarum appel-
 lavit maria
 et vidit Deus quod esset bonum 11 et
 ait
 germinet terra herbam virentem et
 facientem semen
 et lignum pomiferum faciens fruc-
 tum iuxta genus suum

9.11.15.24.30

51

31

71

41

I-30:
 IV Est 6, 38-54
 2.4: 14.19;
 Ex 20.111
 Idi 13.241
 Est 13.101
 Ps 101.261
 120.21 131.31
 Ier 4.23

6.9.14.20.24.29

II Cor 4.6

10.12.18.21.25.
 311

8.13.19.23.31

31

AATMΦ 31 pythagoram ATMΦ | 32 pro thesifonte ATΦ; pro thesifontem M; - orationem c adv.
 cr Ruf. | eisdem M; idem T; 34 sunt TMΦ | 43 ~ in translatione tibi c | 46 hebraica c |
 47 qui | quia TMΦ c | ~ me quia tantum opus c ||

AOC Genesis. Citantur GAOC et ΣATMΦ ac crb. Tir. liber genesis hebraice beresith c. ? 1, 1 [desunt
 ATMΦ G (usque ad 3, 11) et Σ (usque ad 1, 22)] | 2 tenebrae - erant A c | 4 a tenebras C; a teneb-
 ris TΦ c | 9 et factum est c. |

- cuius semen in semet ipso sit super
terram
- 71 et factum est ita
- 12 et protulit terra herbam virentem et
adferentem semen iuxta genus suum
- lignumque faciens fructum
et habens unumquodque sementem
secundum speciem suam
- 41 et vidit Deus quod esset bonum
- 51 13 factumque est vespere et mane dies
tertius
- 31 14 dixit autem Deus
fiant luminaria in firmamento caeli
ut dividant diem ac noctem
et sint in signa et tempora et dies et
annos
- 15 ut luceant in firmamento caeli et in-
luminent terram
- 71 et factum est ita
- Ps 135,7-9 16 fecitque Deus duo magna luminaria
Ier 31,35 17 luminare maius ut praecesset dici
et luminare minus ut praecesset nocti
et stellas
- 18 et posuit eas in firmamento caeli
ut lucerent super terram 18 et prae-
essent diei ac nocti
et dividerent lucem ac tenebras
- 41 et vidit Deus quod esset bonum
- 51 19 et factum est vespere et mane dies
quartus
- 31 20 dixit etiam Deus
producat aquae reptile animae vi-
ventis
et volatile super terram sub firma-
mento caeli
- 21 creavitque Deus cete grandia
et omnem animam viventem atque
motabilem
quam produxerant aquae in species
suas
et omne volatile secundum genus
suum
- 41 et vidit Deus quod esset bonum
- 22 benedixitque eis dicens 28; 9,1
crescite et multiplicamini et replete
aquas maris
avesque multiplicentur super terram
- 23 et factum est vespere et mane dies 51
quintus
- 24 dixit quoque Deus 31
producat terra animam viventem in
genere suo
iumenta et reptilia et bestias terrae
secundum species suas
factumque est ita 71
- 25 et fecit Deus bestias terrae iuxta
species suas
et iumenta et omne reptile terrae in
genere suo
et vidit Deus quod esset bonum 26 et 41
ait
faciamus hominem ad imaginem et
similitudinem nostram
et praesit piscibus maris et volatili-
bus caeli
et bestiis universaeque terrae
omnique reptili quod movetur in
terra
- 27 et creavit Deus hominem ad imagi- 2,7; Dt 4,32;
nem suam 27,28;
ad imaginem Dei creavit illum 5,1; 2
masculum et feminam creavit eos 9,6; Sap 2,23;
Sir 17,1
Mt 19,4; Mc 10,6
- 28 benedixitque illis Deus et ait 22; 9,1,7; 35,11;
crescite et multiplicamini et replete
terram et subicite eam
et dominamini piscibus maris et vo-
latilibus caeli
et universis animantibus quae mo-
ventur super terram
- 29 dixitque Deus 31
ecce dedi vobis omnem herbam ad-
ferentem semen super terram
et universa ligna quae habent in se-
met ipsis sementem generis sui
ut sint vobis in escam 30 et cunctis
animantibus terrae 6,21; 9,3
omnique volucri caeli et universis 28;

12 et ferentem TMΦ; et facientem c | 13 et factum est Ac | 14 ut] et Cc | 16 ~ lumi-
naria magna Cc | 17 eas + deus OMΦ | 18 a tenebras C | 20 reptilia CΦ. | 21 mota-
bilem TMΦcb | motabilem O.; mutabilem ACAr | produxerunt CMr | 22 [incipit Σ] |
26 universae terrae OΣΣ | 29 sementem] semen A | AOC
(Σ)ATMΦ
cb

- quae moventur in terra
et in quibus est anima vivens ut habeant ad vescendum
- 7¹ et factum est ita
4¹ Eccl 3,11; Sir 39,21,39; Mc 7,37
3¹ viditque Deus cuncta quae fecit et erant valde bona
5¹ et factum est vespere et mane dies sextus
- Or Man 2 2¹ igitur perfecti sunt caeli et terra et omnis ornatus eorum
2² conplevitque Deus die septimo opus suum quod fecerat
Ex 20,11; Hbr 4,4
et requievit die septimo ab universo opere quod pararat
3² et benedixit diei septimo et sanctificavit illum
Ex 31,17
quia in ipso cessaverat ab omni opere suo quod creavit Deus ut faceret
4² istae generationes caeli et terrae quando creatae sunt
1,1¹ in die quo fecit Dominus Deus caelum et terram
5² et omne virgultum agri antequam oreretur in terra
omnemque herbam regionis priusquam germinaret
non enim pluerat Dominus Deus super terram
et homo non erat qui operaretur terram
6² sed fons ascendebat e terra inrigans universam superficiem terrae
1,27¹ Tb 8,8; Sir 17,11
7² formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terrae
Sap 15,11; IV Esr 3,5,6
et inspiravit in faciem eius spiraculum vitae
I Cor 15,45
et factus est homo in animam viventem
8² plantaverat autem Dominus Deus paradisum voluptatis a principio in quo posuit hominem quem formaverat
9² produxitque Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum visu et ad vescendum suave
lignum etiam vitae in medio paradisi
lignumque scientiae boni et mali
10² et fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad inrigandum paradisum qui inde dividitur in quattuor capita
11² nomen uni Phison
ipse est qui circuit omnem terram Evilat
ubi nascitur aurum
12² et aurum terrae illius optimum est ibique invenitur bdellium et lapis onychinus
13² et nomen fluvio secundo Geon
ipse est qui circuit omnem terram Aethiopiae
14² nomen vero fluminis tertii Tigris
ipse vadit contra Assyrios
fluvius autem quartus ipse est Eufrates
15² tulit ergo Dominus Deus hominem 3,23
et posuit eum in paradiso voluptatis ut operaretur et custodiret illum
16² praecepitque ei dicens 3,1,3
ex omni ligno paradisi comede
17² de ligno autem scientiae boni et mali ne comedas 3,11,17
in quocumque enim die comederis ex eo morte morieris
18² dixit quoque Dominus Deus non est bonum esse hominem solum faciamus ei adiutorium similem sui 7b 8,8; Sir 17,5; 36,26
19² formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terrae et universis volatilibus caeli adduxit ea ad Adam ut videret quid vocaret ea
omne enim quod vocavit Adam animae viventis ipsum est nomen eius
20² appellavitque Adam nominibus suis cuncta animantia
et universa volatilia caeli et omnes bestias terrae

AOC 31 fecerat c | 2,2 universo | omni OCTMΦ | pararat A. | 4 istae + sunt c | creata O
ΣATMΦ | dominus om. C | 12 ibi AA c | 13 fluvii secundi CEA c | 15 illud C | 18 adiutorium similem AATMΦ, cf. b(upp.) | adiutorium simile O; adiutorem similem C2rb | sui | sibi C c | 19 est om. O |

Adam vero non inveniebatur adiutor similis eius

²¹inmisit ergo Dominus Deus soporem in Adam

cumque obdormisset tulit unam de costis eius et replevit carnem pro ea

²²et aedificavit Dominus Deus costam quam tulerat de Adam in mulierem et adduxit eam ad Adam

²³dixitque Adam hoc nunc os ex ossibus meis et caro de carne mea

haec vocabitur virago quoniam de viro sumpta est

²⁴quam ob rem relinquet homo patrem suum et matrem

et adheret uxori suae et erunt duo in carne una

²⁵erant autem uterque nudi Adam scilicet et uxor eius et non erubescabant

³sed et serpens erat callidior cunctis animantibus terrae quae fecerat Dominus Deus

qui dixit ad mulierem

cur praecepit vobis Deus ut non comederetis de omni ligno paradisi

²cui respondit mulier de fructu lignorum quae sunt in paradiso vescemur

³de fructu vero ligni quod est in medio paradisi

¹praecepit nobis Deus ne comedemus et ne tangeremus illud ne forte moriamur

⁴dixit autem serpens ad mulierem nequaquam morte moriemini

⁵scit enim Deus quod in quocumque die comederitis ex eo aperientur oculi vestri et eritis sicut dii scientes bonum et malum

⁶vidit igitur mulier quod bonum esset lignum ad vescendum et pulchrum oculis aspectuque de-

lectabile et tulit de fructu illius et comedit deditque viro suo

qui comedit et aperti sunt oculi amborum

cumque cognovissent esse se nudos consuerunt folia ficus et fecerunt sibi perizomata

⁸et cum audissent vocem Domini Dei deambulantis in paradiso ad auram post meridiem

abscondit se Adam et uxor eius a facie Domini Dei in medio ligni paradisi

⁹vocavitque Dominus Deus Adam et dixit ei ubi es

¹⁰qui ait vocem tuam audivi in paradiso et timui eo quod nudus essem et abscondi me

¹¹cui dixit quis enim indicavit tibi quod nudus esses

nisi quod ex ligno de quo tibi praeceperam ne comederes comedisti

¹²dixitque Adam mulier quam dedisti sociam mihi dedit mihi de ligno et comedi

¹³et dixit Dominus Deus ad mulierem quare hoc fecisti

quae respondit serpens decepit me et comedi

¹⁴et ait Dominus Deus ad serpentem quia fecisti hoc maledictus es inter omnia animantia et bestias terrae

super pectus tuum gradieris et terram comedes cunctis diebus vitae tuae

¹⁵inimicitias ponam inter te et mulierem

et semen tuum et semen illius ipsa conteret caput tuum

et tu insidiaberis calcaneo eius

¹⁶mulieri quoque dixit multiplicabo aerumnas tuas et conceptus tuos

29, 14; 37, 27;
Ide 9, 2;
II Sm 5, 1;
19, 12, 13;
I Par 11, 14;
Eph 5, 30

Mt 19, 5;
Mc 10, 7, 8;
Eph 5, 31;
III Ebr 4, 20, 25
I Cor 6, 16

A; 2, 16

1; 2, 16, 17

17; 2, 17

II Cor 11, 3

20 adam²] adue Cc | 25 erat AMc | nudus ASMc || 3, 2 uescimur Φc; edemus A. | 3 deus] dominus C | 5 sicut] ut ACΣ | 7 amborum] eorum A | ~ se esse ATΦc | 9 ei] adam C | 11 dixit] deus CΣ | [incipit G] | ~ praeceperam tibi TMΦc | 12 ~ mihi sociam OΣc | 14 es] eris O | cunctis] omnibus GC. | 15 ipse OΣTb | calcaneum OCAΦ |

(G)AOC
ΣATMΦ
crb

Eph 5,22;
Col 3,18;
Tit 2,5; 1 Pt 3,1
in dolore paries filios et sub viri po-
testate eris et ipse dominabitur tui
17 ad Adam vero dixit
quia audisti vocem uxoris tuae
11; 2,17 et comedisti de ligno ex quo prae-
ceperam tibi ne comederes
5,29 maledicta terra in opere tuo
in laboribus comedes eam cunctis
diebus vitae tuae
Iob 31,40;
1 Th 6,8
18 spinas et tribulos germinabit tibi et
comedes herbas terrae
19 in sudore vultus tui vesceris pane
donec revertaris in terram de qua
Ecl 3,20; 12,7 sumptus es
quia pulvis es et in pulverem rever-
18,27; Iob 10,9 teris
20 et vocavit Adam nomen uxoris suae
Hava eo quod mater esset cuncto-
rum viventium
21 fecit quoque Dominus Deus Adam
et uxori eius tunicas pellicias
et induit eos 22 et ait
ecce Adam factus est quasi unus ex
nobis sciens bonum et malum
nunc ergo ne forte mittat manum
suam
Apc 2,7
et sumat etiam de ligno vitae
et comedat et vivat in aeternum
2,15 23 emisit eum Dominus Deus de para-
diso voluptatis
ut operaretur terram de qua sump-
tus est
24 eiecitque Adam
et conlocavit ante paradisum volup-
tatis
cherubin et flammeum gladium at-
que versatilem
ad custodiendam viam ligni vitae
17,25 4 Adam vero cognovit Havam uxo-
rem suam
quae concepit et peperit Cain dicens

posse hominem per Dominum
2 rursusque peperit fratrem eius Abel
fuit autem Abel pastor ovium et
Cain agricola
3 factum est autem post multos dies
ut offerret Cain de fructibus terrae
munera Domino
4 Abel quoque obtulit de primogenitis
gregis sui et de adipibus eorum
et respexit Dominus ad Abel et ad
munera eius
5 ad Cain vero et ad munera illius non
respexit
iratusque est Cain vehementer et
concidit vultus eius
6 dixitque Dominus ad eum
quare maestus es et cur concidit fa-
cies tua
7 nonne si bene egeris recipies
sin autem male statim in foribus
peccatum aderit
sed sub te erit appetitus eius et tu
dominaberis illius
8 dixitque Cain ad Abel fratrem suum
egrediamur foras 1 Sm 20,11
cumque essent in agro
consurrexit Cain adversus Abel frat-
rem suum et interfecit eum 25; 1 Co 3,12
9 et ait Dominus ad Cain ubi est Abel
frater tuus
qui respondit nescio num custos frat-
ris mei sum
10 dixitque ad eum quid fecisti
vox sanguinis fratris tui clamat ad
me de terra
11 nunc igitur maledictus eris super ter-
ram
quae aperuit os suum et suscepit san-
guinem fratris tui de manu tua
12 cum operatus fueris eam non dabit
tibi fructus suos

GAOC 16 tui | tibi O | 17 ad adam GAOrb | adae cet. | eam | ex ea Mc; de ea C. | 18 herbam
EATMΦ Ac | 19 panem CEΦ ' in terra C | 20 hana GArb. | heua c.; aeua M; eua cet. |
crb 21 adae OCΜC; ad adam G | 22 ~ quasi unus ex nobis factus est c. | 23 et emisit
OSe | deus om. CE. || 4,1 hana GArb. | hana A; aeua M; hana c.; heua O; eua
CEATΦb | ~ uxorem suam heua c | per deum CAMΦc | 5 illius | eius GOCrb |
6 mestus GArb. | iratus cet. | 8 ~ fratrem suum abel c | 9 numquid OT | sum | praem.
ego OA; ~ ego CEc |

- 14 vagus et profugus eris super terram
 13 dixitque Cain ad Dominum
 Lam 4,6 maior est iniquitas mea quam ut veniam merear
 14 ecce eicis me hodie a facie terrae et a facie tua abscondar
 12 et ero vagus et profugus in terra
 omnis igitur qui invenerit me occidet me
 15 dixitque ei Dominus nequaquam ita fiet
 24 sed omnis qui occiderit Cain septuplum punietur
 posuitque Dominus Cain signum ut non eum interficeret omnis qui invenisset eum
 16 egressusque Cain a facie Domini habitavit in terra profugus ad orientalem plagam Eden
 17 cognovit autem Cain uxorem suam quae concepit et peperit Enoch et aedificavit civitatem vocavitque nomen eius ex nomine filii sui Enoch
 18 porro Enoch genuit Irad et Irad genuit Maviahel et Maviahel genuit Matusahel et Matusahel genuit Lamech
 19 qui accepit uxores duas nomen uni Ada et nomen alteri Sella
 20 genuitque Ada label qui fuit pater habitantium in tentoriis atque pastorum
 21 et nomen fratris eius Iubal ipse fuit pater canentium cithara et organo
 22 Sella quoque genuit Thubalcain qui fuit malleator et faber in cuncta opera aeris et ferri
 soror vero Thubalcain Noemma
 23 dixitque Lamech uxoris suis Adae et Sellae
 audite vocem meam uxores Lamech
 auscultate sermonem meum quoniam occidi virum in vulnus meum
 et adulescentulum in livorem meum
 24 septuplum ultio dabitur de Cain de Lamech vero septuagies septies
 25 cognovit quoque adhuc Adam uxorem suam et peperit filium vocavitque nomen eius Seth dicens posuit mihi Deus semen aliud pro Abel quem occidit Cain
 26 sed et Seth natus est filius quem vocavit Enos
 iste coepit invocare nomen Domini
 5 hic est liber generationis Adam in die qua creavit Deus hominem ad similitudinem Dei fecit illum
 2 masculum et feminam creavit eos et benedixit illis et vocavit nomen eorum Adam in die qua creati sunt
 3 vixit autem Adam centum triginta annis
 et genuit ad similitudinem et imaginem suam
 vocavitque nomen eius Seth
 4 et facti sunt dies Adam postquam genuit Seth octingenti anni
 genuitque filios et filias
 5 et factum est omne tempus quod vixit Adam anni nongenti triginta et mortuus est
 6 vixit quoque Seth centum quinque annos et genuit Enos
 7 vixitque Seth postquam genuit Enos octingentis septem annis
 genuitque filios et filias
 8 et facti sunt omnes dies Seth nonaginta annorum et mortuus est
 9 vixit vero Enos nonaginta annis et genuit Cainan
 10 post cuius ortum vixit octingentis quindecim annis

15

11, 16, 112, 152;
 19, 37, 38;
 21, 2, 3;
 1 Sm 1, 20
 5, 5

81

Le 3, 38

1, 2;
 1, 27, 28;
 Iac 3, 9

4, 25

4-31;
 1 Par 1, 1-3
 Le 3, 36-38

12 super terra OA.; + omnibus diebus vitae tuae C. | 14 in terram C.; super terram Σ | GAOC
 15 in septuplum O; in septuplo Σ. | ~ interficeret eum c. | 16 ~ profugus in terra c | ΣATMΦ
 19 ~ duas uxores c. | 25 eius | illius GEA || 5, 2 quo ΑΣΑΤΦc | 3 annos O | ~ ad
 similitudinem suam et imaginem G.; ~ ad imaginem et similitudinem suam AMc | 4 sunt
 | omnes O | 6 annis ΑΦc | 7 CCCVII annos C |

etb

et genuit filios et filias

¹¹factique sunt omnes dies Enos non-
gentorum quinque annorum et
mortuus est

¹²vixit quoque Cainan septuaginta an-
nis et genuit Malalehel

¹³et vixit Cainan postquam genuit Ma-
lalehel octingentos quadraginta an-
nos

genuitque filios et filias

¹⁴et facti sunt omnes dies Cainan non-
genti decem anni et mortuus est

¹⁵vixit autem Malalehel sexaginta
quinque annos et genuit Iared

¹⁶et vixit Malalehel postquam genuit
Iared octingentis triginta annis
et genuit filios et filias

¹⁷et facti sunt omnes dies Malalehel
octingenti nonaginta quinque anni
et mortuus est

¹⁸vixitque Iared centum sexaginta du-
obus annis et genuit Enoch

¹⁹et vixit Iared postquam genuit Enoch
octingentos annos
et genuit filios et filias

²⁰et facti sunt omnes dies Iared non-
genti sexaginta duo anni et mor-
tuus est

²¹porro Enoch vixit sexaginta quinque
annis et genuit Mathusalam

²²et ambulavit Enoch cum Deo post-
quam genuit Mathusalam trecentis
annis
et genuit filios et filias

²³et facti sunt omnes dies Enoch tre-
centi sexaginta quinque anni

²⁴ambulavitque cum Deo et non ap-
paruit quia tulit eum Deus

²⁵vixit quoque Mathusalam centum
octoginta septem annos et genuit
Lamech

²⁶et vixit Mathusalam postquam ge-
nuit Lamech septingentos octoginta
duos annos

et genuit filios et filias

²⁷et facti sunt omnes dies Mathusalee
nongenti sexaginta novem anni et
mortuus est

²⁸vixit autem Lamech centum octo-
ginta duobus annis

et genuit filium ²⁹vocavitque nomen
eius Noe dicens

iste consolabitur nos ab operibus et
laboribus manuum nostrarum in
terra cui maledixit Dominus

³⁰vixitque Lamech postquam genuit
Noe quingentos nonaginta quinque
annos

et genuit filios et filias

³¹et facti sunt omnes dies Lamech sep-
tingenti septuaginta septem anni et
mortuus est

Noe vero cum quingentorum esset
annorum genuit Sem et Ham et
Iafeth

⁶cumque coepissent homines multi-
plicari super terram et filias pro-
creassent

²videntes filii Dei filias eorum quod
essent pulchrae
acceperunt uxores sibi ex omnibus
quas elegerant

³dixitque Deus non permanebit spiri-
tus meus in homine in aeternum
quia caro est
eruntque dies illius centum viginti
annorum

⁴gigantes autem erant super terram
in diebus illis
postquam enim ingressi sunt filii Dei
ad filias hominum illaeque genu-
erunt

24: 6,9; 24,40;
48,15

22: Sir 44,16;
Ebr 11,5

3,17

6,10; 9,18; 10,1

IV Ew 3,12

12,14

Is 77,39

GAOC 11 nongenti quinque anni c. | 13 octingentis quadr. annis AMΦc | 15 quinque om. C |
ΣATMΦ 11 annis CAMΦc | 18 clxii annos C | 19 octingentis annis AMΦc | 22 deo + et vixit c.;
crb + et vixit enoch CEA | 25 annis CATMΦc | 26 septingentis octoginta duobus annis AT
MΦc | duos om. O | 27 mathusala c. | nungentis sexaginta novem annis G | 30 quin-
gentis nonaginta quinque annis AMΦc | 31 septuaginta — et O | uero om. C | genuit +
tres filios C | et 3 om. CEAMΦc | 6,1 filios CE | 2 eorum | hominum AΦc | ~ sibi
uxores Cc | 3 deus | dominus O | erantque OAT |

isti sunt potentes a saeculo viri famosi

⁵videns autem Deus quod multa malitia hominum esset in terra

6,21 et cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore

⁶paenituit eum quod hominem fecisset in terra

et tactus dolore cordis intrinsecus

13: 7,4,23 ⁷delebo inquit hominem quem creavi a facie terrae

ab homine usque ad animantia

a reptili usque ad volucres caeli

paenitet enim me fecisse eos

18,31 19,19; Ex 33,121; Prv 12,21; Eccl 1,309 ⁸Noe vero invenit gratiam coram Domino

⁹haec generationes Noe

Noe vir iustus atque perfectus fuit in generationibus suis

cum Deo ambulavit

5,221; 5,31; 9,18; 10,1 ¹⁰et genuit tres filios Sem Ham et Jafeth

¹¹corrupta est autem terra coram Deo et repleta est iniquitate

¹²cumque vidisset Deus terram esse corruptam

omnis quippe caro corruperat viam suam super terram

71 171 ¹³dixit ad Noe finis universae carnis venit coram me

repleta est terra iniquitate a facie eorum

et ego disperdam eos cum terra

Hbr 11,7; 1 Pt 3,20 ¹⁴fac tibi arcam de lignis levigatis mansiunculas in arca facies

et bitumine linies intrinsecus et extrinsecus

¹⁵et sic facies eam trecentorum cubitorum erit longitudo arcae

quingenta cubitorum latitudo

et triginta cubitorum altitudo illius

¹⁶fenestram in arca facies et in cubito consummabis summitatem

ostium autem arcae pones ex latere deorsum

cenacula et tristega facies in ea

¹⁷ecce ego adducam diluvii aquas super terram

ut interficiam omnem carnem

in qua spiritus vitae est subter caelum

universa quae in terra sunt consummentur

¹⁸ponamque foedus meum tecum et ingredieris arcam tu et filii tui

uxor tua et uxores filiorum tuorum tecum

¹⁹et ex cunctis animantibus universae carnis

bina induces in arcam ut vivant tecum

masculini sexus et feminini

²⁰de volucribus iuxta genus suum

et de iumentis in genere suo

et ex omni reptili terrae secundum genus suum

bina de omnibus ingredientur tecum ut possint vivere

²¹tolles igitur tecum ex omnibus escis quae mandi possunt et conportabis apud te

et erunt tibi tamquam illis in cibum

²²fecit ergo Noe omnia quae praeceperat illi Deus

⁷dixitque Dominus ad eum

ingredere tu et omnis domus tua arcam

te enim vidi iustum coram me in generatione hac

²ex omnibus animantibus mundis tolle septena septena masculinum et feminam

de animantibus vero non mundis duo duo masculinum et feminam

³sed et de volatilibus caeli septena septena masculinum et feminam

6 [deest C usque ad 7,21] | 9 haec OC: + sunt AO^{erb}. | [deest O usque ad 7,11] | dixitque C | 16 summitatem — eius ATMΦ
10 et² om. AA | 11 deo | domino CE | 13 c. | 17 ~ aquas diluvii c. ut] et CE | consummentur CAM | 22 ergo] igitur c. | 2 tolles CE^{rb} | septena¹ | et TMΦ c. item et TMΦ c.

(G)A(O)C
ΣATMΦ
ctb

- ut salvetur semen super faciem universae terrae
- 6.17² ¹² adhuc enim et post dies septem ego pluam super terram quadraginta diebus et quadraginta noctibus
- 23; 6.7 et delebo omnem substantiam quam feci de superficie terrae
- 6.22 ⁵ fecit ergo Noe omnia quae mandaverat ei Dominus
- ⁶ eratque sescentorum annorum quando diluvii aquae inundaverunt super terram
- 1.13¹ 6.18⁷ ⁷ et ingressus est Noe et filii eius uxor eius et uxores filiorum eius cum eo in arcam propter aquas diluvii
- 14-16; 6.19-20 ⁸ de animantibus quoque mundis et immundis
- 1.28¹ et de volucribus et ex omni quod movetur super terram
- ⁹ duo et duo ingressa sunt ad Noe in arcam masculus et femina sicut praeceperat Deus Noe
- ¹⁰ cumque transissent septem dies aquae diluvii inundaverunt super terram
- 6.17³ ¹¹ anno sescentesimo vitae Noe mense secundo septimodecimo die mensis rupti sunt omnes fontes abyssi magnae
- Ps 77,23; 18 24,18 ⁴ et cataractae caeli apertae sunt
- ¹² et facta est pluvia super terram quadraginta diebus et quadraginta noctibus
- 1.7; 6.18¹ Mc 24,18 ¹³ in articulo diei illius ingressus est Noe et Sem et Ham et Iafeth filii eius
- uxor illius et tres uxores filiorum eius cum eis in arcam
- 8,19 ¹⁴ ipsi et omne animal secundum genus suum
- 14-16; 8,9; 6.19-20 ¹⁵ universa quoque iumenta in genus suum et omne quod movetur super terram
- in genere suo
- cunctumque volatile secundum genus suum
- universae aves omnesque volucres
- ¹⁵ ingressae sunt ad Noe in arcam bina et bina
- ex omni carne in qua erat spiritus vitae
- ¹⁶ et quae ingressa sunt masculus et femina ex omni carne introierunt sicut praeceperat ei Deus
- et inclusit cum Dominus de foris
- ¹⁷ factumque est diluvium quadraginta diebus super terram
- 6.17⁴ Sic 44,18
- et multiplicatae sunt aquae et elevaverunt arcam in sublime a terra
- ¹⁸ vehementer inundaverunt et omnia repleverunt in superficie terrae
- porro arca ferebatur super aquas
- ¹⁹ et aquae praevaluerunt nimis super terram
- opertique sunt omnes montes excelsi sub universo caelo
- ²⁰ quindecim cubitis altior fuit aqua super montes quos operuerat
- ²¹ consumptaque est omnis caro quae movebatur super terram
- 6.17
- volucrum animantium bestiarum omniumque reptilium quae reptant super terram
- universi homines
- ²² et cuncta in quibus spiraculum vitae est in terra mortua sunt
- 6.17
- ²³ et delevit omnem substantiam quae erat super terram ab homine usque ad pecus
- 4; 6.7
- tam reptile quam volucres caeli et deleta sunt de terra
- remansit autem solus Noe et qui cum eo erant in arca
- ²⁴ obtinueruntque aquae terras centum quinquaginta diebus
- 8,3
- ⁸ recordatus autem Deus Noe cunc-

(G)A(O)C 7 eius¹ illius AE | 8 et¹ om. CE | 9 deus | dominus ACMc | 10 super om. AEA |
 EATMc 11 [iterum adest O] | 13 et^{1,2} om. C | 14 universa quae iumenta in genere suo c; om. CF |
 crb 15 ingressaeque O.; ingressi C.; ingressa t. | in arca O | 17 et levaverunt OΦ | 18 ue-
 hementer i enim Oe | 19 operti sunt C | 21 consummataque O | [iterum adest G] |
 23 in arcam OC | 24 terram c || 8,1 recordatus = est GACrb |